


REGI POLONIÆ
STANISLAO I°.
BENEFICENTISSIMO,
MAGNO DUCI LITHUANIÆ, SAMOGITIÆ, PODLAQUIÆ, LIVONIÆ,
LOTHARINGIÆ ET BARRI
DUCI,
COMITI VADANI MONTIS, ALBI MONTIS,

VOVET, DICAT, CONSECRAT,

SUI AMORIS CULTUS

ET ADMIRATIONIS PIGNUS

ET MONUMENTUM

ACTUS PRÆSES.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-quintâ mensis Novembris, Anno Domini M. DCC. LVII.

PRÆSIDE

M. JOANNE-FRANCISCO-CLEMENTE MORAND, Equite, Facultatis Doctore & antiquo Professore, STANISLAI, Poloniæ Regis, Consiliario-Medico ordinario, Collegii Medicorum Nanceïanorum Socio Honorario, Castrorum Normanniæ inferioris, in Nosocomio Militari Valonæo nuper Medico, Societatis Regiæ Lugduni, Societatis Botanices Florentiæ, Academiæ Regiæ Medicæ Matriti, Regiæ Scientiarum Academiæ Suecicæ Socio.

An ex Heroibus, Heroes?

I.

AD IMAGINEM DEI CREATUS HOMO. Verùm hæc imago, quam in plerisque mortalium rudis & imperfecta! Hujus expressa lineamenta, frequentiùs in Heroibus reperias. Quid igitur est Heros? Vir, ut ait Homerus, ἰσόθεος, intrepidus bellator, gloriæ magìs quàm vitæ consulens, qui nec laboribus, nec periculis, neque ipsi etiam morti pro Patriâ pectus objicere formidaverit. Heroem dicimus Principem generosum, Regem magnanimum, qui Populorum &

Custos & Pater, virtutibus & factis, Regiæ dignitatis culmen exsuperet; qui non suos tantùm, sed & universum genus hominum amet illustribus beneficiis demereri: Virum denique supra humanam naturam fortem, moderatum, magnum, propè Deum, aut certè Deo simillimum. Jam verò quærimus, præclara hæc facultas, (Virtus Heroica,) an ex avis in nepotes hæreditate quâdam traducatur, & jure peculiari ac proprio, quasi familiis quibusdam innata sit. A Poetis solutum hoc jamdiu argumentum. Sed bonâ Poetarum veniâ, non hîc res in eorum foro versatur; nostris in Scholis non ad aurium voluptatem ac lenocinium, sed ad veritatis investigationem ex causis Physicis tractanda quæstio est, utilior quidem, imò & abstrusior, quàm esse primo intuitu videatur. *Imbellem ferox nunquam generat aquila Columbam*; nimirum specierum conservationi sapientiùs Natura prospexit, quàm ut ejusmodi ex aliis ad alias transitus fiant; at pariter experientiâ constat ignavum ex Heroe nasci posse. Considerandum itaque, an fuerint aut sint etiamnum quædam domus ac familiæ, optimis dotibus præter cæteras ornatæ, in quibus ea laus, ad ultimos nepotes, non interruptâ successione propagetur, ita ut hæreditaria censenda sit in iis virtus Heroica.

II.

OMNIBUS quidem populis humanitate perpolitis, at tibi præcipuè, gravis hæc quæstio videbitur, ô GALLIA! Hæreditarium est decus tui Sceptri, quod gerit à novem sæculis, continuatâ serie, Domus orbe toto Nobilissima, quâ nulla Heroum usquam feracior. Illa florentissimum hoc Imperium firmavit atque amplificavit; quin & multis gentibus exteris complures è suo sinu Dominatores imposuit. At hujus tam inclytæ Regiæ stirpis novissimus ramus, Sanguis BORBONIUS, quantùm, ex quo regnare cœpit, splendoris & gloriæ ramis respondit extinctis!

HENRICI MAGNI Leges & jura vix agnoveras, & jam universæ gentis amor, & Europæ totius admiratio, HENRICI Imperium æternitati consecraverant.

LUDOVICI XIV. encomium peragit, & Magni cognomen, & ejus ætas ad posteros titulo sæculi LUDOVICÆI, consignata.

Dolendum æterno luctu Regem, nisi eum excepisset LUDOVICUS BENE AMATUS, bellicis laudibus haud quaquam inferior, sed ita pacis amore, & æquitatis famâ conspicuus, ut Eum gentes ab omni ævo Gallici nominis æmulæ, dissidiorum suorum Disceptatorem & Arbitrum non semel optaverint!

Quis Avitæ virtutis degenerem arguet Serenissimum DELPHINUM? Qualis ille ex ipsis recentis Hymænei complexibus Fonteniacos in campos exiit, Mavortius LUDOVICI Comes & Æmulus, & quàm verè se inter præliorum procellas & discrimina præbuit animis & pectore BORBONIUM!

At quot & quanta rerum miracula, seris nepotibus jam ostentat Numerosa Delphini progenies, cara Deo progenies, nostrarum columen decúsque rerum! Venas irrorat sanguis quo nullus generosior, sanguis Heroum, cui quanta claritas accessit ab Augustissimâ Parente, cujus Pater ex

antiqua illâ Principum Saxonicorum Domo, utrique populo & quem electionis, & quem natalium jure gubernat æquè Dilectus, ipsos prætereà totius Europæ Principes in Suî amorem, æquitate, munificentiâ, moderatione, aliisque virtutibus ita convertit, ut illius causam non tueri adversus Hostis vicini perfidiam atque impetum, nullus ferè sit, qui nefas esse non existimet.

Rem altiùs si repetas, Regiorum Infantium Proavus, Coronâ legitimè solemnitérque bis delatâ major, suos Lotharis Duces virtutibus reddidit, amore æquavit, beneficiis à nemine unquam superabitur. Ejus benefacta quis dinumeret, quis evolvat admirabiles & infinitas Paterni Regiíque pectoris artes, ut prosit? * Quis credat tot tam diversi generis, & tam utilia monumenta, aut à pluribus Principibus uno sæculo, aut ab uno, pluribus sæculis confici potuisse? ** Itaque STANISLAUM non Ducem, sed Numen aliquod è cœlo delapsum colit, veneratur ac prædicat térque quatérque felix AUSTRASIA.

Non inanem in hac tot Heroum Augusta Prole fiduciam reponit GALLIA. At si nihil conferat ad singularem virtutem splendidum genus, si cœco casu, ex una nunc stirpe, nunc ex altera prodeant Heroes, quò uberiorem eorum frequentiam fudit Regum nostrorum sanguis, eò timendum esset magìs, ne tot virtutum fons eximius, exhaustus aliquando deficeret.

III.

UNICAM hominis speciem creavit Natura: sed in hâc unicâ specie; quot varietates, aliæ magìs, aliæ minùs multiplices, magìs minúsve certæ & stabiles? Vix credibile est, Lappones, Patagones, Hottentotas, Gallos, Sinenses, Sylvestres Americæ Meridionalis homines, Mauros & Darianos, ex uno eodémque principio dimanasse: quàm enormis in staturâ, in quarumdam partium conformatione, in figurâ, colore, odore, capillitio, indole, judicio, moribus discrepantia! Non omnes à Natura profectæ sunt illæ varietates; aliæ artis solertiæ, laboribus, industriæ humanæ debentur; aliæ ex fortuito plurium causarum concursu defluxerunt, inter quas quæ præcipuæ & insigniores sunt, ita per longam ætatum seriem inoluere, ut nullâ fortasse jam viâ delebiles sint, nisi advenerint causæ prioribus ex diametro oppositæ, per eumdémque sæculorum ordinem perseveraverint.

Impiè desipiant, qui inde collegerint, non omnes ex eodem stipite homines exortos esse; at in verbis fortasse tantùm erraverit, si quis esse in humanâ specie quasdam varietates omnino jam immutabiles affirmaverit. Pro certo saltem habendum est, quantùm humano judicio res æstimari solet, imò etiam ex Naturæ legibus, nunquam fore, ut homines ad primævam similitudinem revocentur; non posse, verbi gratiâ, nigritiem dealbari, lanam in crines mutari, mulierum Groniarum mammas in appositam molem contrahi, squallidum mulierum Hottentotarum ventrale subduci, viros Hollandiæ novæ barbatos, mulieres insulæ formosæ imberbes fieri, nedum

* Fondations contre l'intempérie des Saisons, & pour les Marchands ruinés. Prix annuels pour les Sciences & les Arts. Pensions pour des jeunes Demoiselles. Corps de Cadets.

** Hôtel des Missions Royales, Hôpitaux, Collége Royal des Médecins, Magasins de Bleds, Ecole Militaire, Place Royale, &c, &c.

infinitam hanc perfectámque rerum converſionem, ex prompta ſubitâque viciſſitudine ſperaveris. Niſi aliquo lapſu temporis non deſciſcit aut perpolitur gens quælibet.

Porrò quæ inter innumerabiles orbis univerſi populos obſervantur, eadem inter varias ejuſdem gentis familias diſcrimina deprehendes : ut quo ſemel imbuta eſt, odorem ſervat diu teſta, ita excretum è patre embryonem, iis quæ paternæ naturæ ſunt, aliquatenus affici neceſſe eſt. Pater generoſus, prolem etiam rite corpore conſtitutam ; imbellis & infirmus, debilem pariet & infirmam : quippe delibatur è ſingulis corporis maſculini partibus humor genitalis, viri compendium, & quaſi coanguſtata quædam adumbratio. Tacita parentum figura, habitus, temperatio, ſubtili quâdam, at fideli imagine eorumdem germine continentur.

Germen illud otianti Phyſico æterna ſpeculationum & controverſiarum materies, haud dubiè habetur à Medico Phyſiologo, totius paterni materníque ſanguinis communicatio, perfectiſſima ſecretio. In ipſorum quaſi typis, omnis ducta fuit embryonis moles ; eorum organis digeſtum, paratum, elaboratúmque eſt quidquid ſuccorum ille ſibi vindicavit. Semel infuſo tenuibus inchoatæ machinulæ fibrillis vitali flamine, cor ſanguinei laticis fons, facultatum animalium auctor & actor pulſat, ſanguinémque acceptum niſu tortili propellit ; oſcillat mox totum ſyſtema vaſculoſum ; nova gradatim & ſucceſſivè explicantur organa ; cerebrum, rorem motorem, ſenſiferum, & nutritium dædalæis, argenteiſque meatibus huc illuc vibrat ſubtiliſſimè, ita ut moles admirabilis exquiſitum parentis ſpecimen paulatim exhibeat. Novi deinde ſucci prout hauriuntur, aſſimilantur prioribus, cunctaque finguntur ad prototypum ; creſcit interim puer, jam voces reddit, jam pede certo ſignat humum, & ecce oris & corporis habitu, geſtu, vocis ſono, animi & ingenii naturâ perfectam habes Patris & Matris imaginem. Obſervator naturæ parens, indiſcretum ſuî ſpeculum lætus intuetur ; in altero putat ſe renaſci ; dulci lætitiâ ebrius, elicitas ſuî ipſius amore & gaudio lacrymas fundere non erubeſcit ; cùm verò in nepotibus occurrit hæc imago ſuaviſſima, acrior tum & propior medullis titillat animum voluptatis ſenſus ; in ſecundâ ſobole magìs quàm in primâ, generis auctor afficitur, quaſi aliquam immortalitatem conſecutus.

Hæc porrò Naturæ lex adeo inconcuſſa eſt, hanc ſimilitudinem tam expreſsè, tam conſtanter affectat Natura, ut nævis, vitiis, cicatricibus cutaneis, liberos etiam obſignet ; ut miſeram & deformem potiùs quàm diſſimilem ſobolem gignat ; ut denique morborum triſti propagatione, paternorum flagitiorum libidinúmque pœnas, à liberis ſæpe repetat.

Et ipſa quidem anima ab omni concretione materiæ ſejuncta eſt ; nec ſemine conflatur, nec placentâ excerpitur, nec ſubſtantiâ generante manat, nec à Patribus ad liberos traducitur, ſed ab ipſo Deo creata eſt, ut intimè corpori inhæreat, eíque regendo inſerviat. Quis tamen diſſimulaverit, quantùm in rebus percipiendis, iis etiam quæ ad intellectum ſimpliciter pertinent, Spiritus hic Divinus, à corporeis pendeat organis, quàm facile in debili, vel inordinato corpore ejus munia langueſcant aut depraventur ! Etſi

multùm inter ſe naturâ diſcrepant corpus & anima, ea tamen eſt inter utrumque in perpetua contentione cognatio, ea cohærentia, ut recta perverſáque alterius diſpoſitio, in alterum potenter & directò influat. Navigium eſt corpus, animus eſt navarchus; hic curſum tenere non poteſt, ſi cuncta deficiant in navi. Molitor & effector eſt animus; corpus inſtrumentum ſine quo non: hoc ſi malè diſpoſitum, vitioſum erit opus; animus cernit, audit, agit, ſenſu res percipit; ipſi competit ratiocinandi vis & facultas; ſi verò ſuffuſione obducatur oculi cryſtallina lens, ſi nervus ἀκουστικὸς obſtructione præpediatur, ſi motu & ſubinde etiam ſenſu, muſculum paralyſis orbaverit, ſi meninges aut cerebrum occupet inflammatio, munia jam exequi, aut facultates exercere mens non valet; febris acuta, maligna, peſtilens, memoriam occidit; pro varia corporis conformatione, vitiis, humorum intemperie, diverſus mentis habitus. Si viget ſanguis, ingenium erit acre, expeditum, viva natura. Si contrà frigidus ſeroſúſque torpet, hujus craſim participabit indoles, ita ut varia principia in humoribus dominantia, ex pathematibus, & factis tantùm non faciliùs, quàm ex analyſi Chymica dijudices. In pueris obſervantur ab incunabulis hæc diſcrimina. Alumnus hic timidus, faſciis involvi tranquillò patitur; ille in vehementes & incompoſitos motus jactatur, viréſque in nutricem, pugnis aut morſibus quaſi experitur.

Jam verò ſi vitia corporis traduntur à parentibus ad liberos, idem de mentis & animi ægritudinibus judicandum. Si Podagricas, Phthyſicas, Strabones, Gibboſas, id eſt iſtis infirmitatibus magìs obnoxias quaſdam eſſe familias compertum eſt, alias pariter eſſe fatearis, ubi plerîſque liberis melancholia, mania, imbecillitas, epilepſia, ferè connaſcuntur. Rurſum exiſtunt aliæ in quibus prudentia, fortitudo, gentilitia ab omni ætate bona ſunt, quia ſcilicet libero omnium corporis & animæ facultatum exercitio apprimè conſtituta favent organa, unde cordatus & acri ante ætatem judicio puer, veram in virtute ponendam eſſe felicitatem facilè intelligit, bonis artibus maturè tradit animum, tantùm propenſioni honeſtæ æquus & attentus parens, ſapiénſve rector indulgeat. Ita nonnullis in familiis perennitatem adipiſcitur virtus Heroica. *

* C'eſt un fait conſtaté par l'Hiſtoire de tous les Empires, que les grands Hommes ſe diſtinguent de bonne heure par leur diſpoſition ou par leur capacité, à remplir dès leur jeuneſſe les dignités & le commandement. Scipion, la reſſource des Romains, à vingt-quatre ans; Marc-Aurele, Philoſophe accompli à l'âge de douze ans, & dans le cours de ſa vie un des plus ſages & des plus vertueux Princes de l'antiquité Payenne. Dom Juan d'Autriche, couvert de gloire dès l'âge de vingt-quatre ans, par le gain de la fameuſe Bataille de Lépante; en Eſpagne, Dom Franciſco de Caſtro, occupant les plus grands Emplois de la Monarchie, n'ayant pas encore, ſelon l'expreſſion de Vitrian, de barbe au menton. Le grand Condé, en France, vainqueur à Rocroy à l'âge de vingt-deux ans. Le Vicomte de Turenne, eſſayant, à l'âge de dix ans de rompre la foibleſſe de ſa compléxion, en paſſant une nuit d'hyver ſur le Rempart de Sedan, où on le trouva endormi ſur l'affut d'un canon: il n'eſt point d'homme illuſtre qui n'ait prouvé ce que l'on avance; tel a encore été, dans ſa Patrie, le jeune Palatin de Poſnanie, STANISLAS LESCZINSKI, * qui depuis mérita la Couronne de Pologne. On peut lire dans ſon Hiſtoire tout ce que ce Prince étoit dès l'âge de douze ans.

* *Hiſtoire de STANISLSAS I. Roi de Pologne, Grand Duc de Lithuanie, Duc de Lorraine & de Bar. Par M. D. C. Tom. I. pag. 21, 23, 41, &c.*

IV.

IS eſt rerum in hac orbis univerſitate concentus, ea inter innumerabiles Naturæ fœtus analogia, ut ſi nihil aut prorſus, aut aliquâ ſaltem ex parte ſimile occurrerit in triplici Naturæ regno, erroris ſuſpicionem, haud facilè fugerimus, etſi in re qualibet ſigillatim conſiderandâ maximè intenti.

Itaque liceat ulteriùs progredi, & quæcumque in noſtram quæſtionem aliquid novæ lucis reflectere potuerint, inter ſe omnia comparare.

Neque tamen exempla longiùs accerſita jactabimus. Non afferemus in argumentum, illas metallorum in ſimpliciſſimâ naturâ varietates. Ferrum quodcumque ex eadem fodina extraxeris, à prima ad extremam uſque maſſam, aut aſperius & fragilius, aut ductilius adeóque malleis obſequentius fore, quàm quod alia ſuppeditaverit: Adamanti Mogolico, nunquam Braſilicum lucis limpitudine parem futurum; Topazion Occidentale, nunquam cum rupis veteris Topazio ſoliditate certaturum reperies.

Graviora, firmiora, & noſtræ propiora quæſtioni exempla vegetans paſſim ſufficiet natura. Sive in nemoribus, contra ſolis calores immodicos, vim tempeſtatum, grandinis, imbrium, lætiſſima ramorum exuberet copia; ſive in hortis, in agris, multiplices herbis, graminibus, ſuccos, figuras, fragrantiam, aut floribus, odorum ſuavitates & arte nunquam imitabiles colorum picturas ingeneret; ineſt omnibus vegetantibus, eadem ſimiliſque vita, in foliis pullulantibus, in floribus gemmantibus, in fructibus matureſcentibus, in omnibus pariter, diſtincta organorum compoſitio, ſuccorum ex Naturæ legibus diſtributio, perſpiratio, æquabiles ſecretiones. Plantarum ſpecies Natura definiit, at innumerabiles, inter eaſdem, varietates induxit artis induſtria. Vide, deguſta quantùm ab apio pratenſi, unde exoritur, *Celeri* Italorum, quantùm à ſylveſtri cichorio, cujus in meliùs mutatum eſt ſemen, album diſcrepet cichorium. Quis non reclamavit, quis credidit ſtatim, cum demonſtravit Obſervator Botanicus, * Reſedæ Ægyptiacæ, & noſtratis unam eamdémque eſſe ſpeciem, cujus principia, proſpero magìs ſolo, cœlo magìs calido, puro & ſereno tenuata, exaltata, hanc explicarunt ſuavolentiam, quàm noſtris etiam in terris, à plurimis annis integram propè retinuit? Nimirum ſeminibus ipſis continuatâ ſæculorum ſerie, altè impreſſus quaſi caracter, teneras in plantas parvâ omnino diminutione tranſmigrat; quæ quidem diminutio, tum demum ſentietur, cùm planta ſuccis, primò minùs defæcatis, deinde magìs magìſque concretis imbuta, ſenſim ex hac ſua præſtantia ad Reſedam vulgarem degeneraverit. Malum contrà Perſicum, mirum quàm felici mutatione, malè natam in fructu delicatiſſimo, vim catharticam, ſoli natalis vitium exuerit. *

* V. le Mémoire de M. Dalibar, ſur le Réſéda à fleur odorante Tom. I. des Mémoires de Mathématiques & de Phyſique, préſentés à l'Académie Royale des Sciences de Paris, par divers Sçavans.

* *Stipantur Calathi pomis, quæ barbara Perſis*
Miſerat, ut fama eſt, Patriis armata venenis;
At nunc expoſiti, parvo diſcrimine lethi,
Ambroſios præbent ſuccos oblita nocendi. JUN. COLUMEL.

Neque Natura minùs definitam affectat in animantium ſobole ſimilitudinem; quo nullum aptiùs ad hanc quæſtionem argumentum. Sive prædatricum volucrum genus, ſive quadrupedum ac præſertim domeſticorum familiam reſpicias.

Caninam ſpeciem, hominis delicias, fidámque cuſtodiam intuere. Quot in eâ varietates! Canes venaticos, canes janitores, pecuarios, villaticos, culinarios, ſua quemque ſignat, celeritas in pedibus, ſagacitas in naribus, aſtutia, docilitas, fidelitas, imò ſua etiam, pro diverſitate conditionis, indoles.

Inter equos, licèt perexigua & omnium minima varietas, ut de communi horum naturâ dubitari ſit nefas; quis tamen vel maximè vulgari peritiâ, & ſubtilitate proxeneta varia illorum genera, Turcicum, Arabicum, Hiſpanum, Anglicum, Danúmve, ſtatim oculo judice non pronuntiaverit: unde ille generoſiſſimorum admiſſariorum delectus, quo, armentum omnium longè utiliſſimum noſtris in Provinciis, in dies perficitur.

Itaque conſpirant in noſtram quæſtionem, tria Naturæ regna; in omnibus, ſpecies à principio definitæ, ita tamen ut una eadem, variis in pejus, meliúſve mutationibus obnoxia ſit. Quidni igitur, eamdem in homine legem teneat, ut cùm humanam ſpeciem, in plures, multiforméſque gentes diviſerit, rurſum eamdem gentem dividat in plures familias, inter quas aliquæ ita ſingulari virtutis notâ ſemper excelluerint, ut eas ab majorum decore nunquam deſcituras, aſſerere poſſit nullâ aſſentationis ſuſpicione, Phyſiologus?

V.

AT quoties, inquiet aliquis, ex avita virtute liberi præſtantiſſimis orti parentibus degeneravêre, & extincta paulatim evanuit illuſtriſſimarum familiarum gloria! Rurſum, quoties ex infimâ origine, viles terrigenæ, ipſo excitante virtutis impetu nomen ſuum egregiis facinoribus illuſtravere! Utrumque non diffitemur; at cùm rariſſima ſunt utriuſque generis exempla, tum ex cauſis ita manifeſtis plerumque deducuntur, ut ejuſmodi exceptionibus nequaquam poſſit communis regula convelli.

Ac 1°. quidem, quot videas antiquæ nobilitatis liberos, qui infauſtis naturæ auſpiciis concepti ſunt, cum in ſinum generoſæ conjugis non poſſet pater enervatus, niſi ſpiritus vappidos, seménque crudius, & ſtagnantium humorum copiâ dilutius effundere! Jam quot ex his imbellibus ſtirpis egregiæ ſurculis cum lacte nutricis conductitiæ, abjectos falſæ parentis ſenſus & mores imbibêre! His adde ſerviles manus Inſtitutorum, quibus ætas prima plerumque committitur, qui corpus, jam tum educationis mollitie frangant, & animum ſtultis ineptíſque rerum omnium rudimentis, miſerum in modum inficiant; & miraberis inſignes proavos non ſemper in nepotibus reviviſcere.

2°. Nonne id etiam uſu quotidiano venire cernimus, ut nati in ipſo ignobilitatis, imò & paupertatis ſinu liberi, vitam tamen hauſerint ex parentibus egregiâ organorum conformatione, adeóque ſufficiendo ſobolis ex omni numero abſolutæ germini, maximè idoneis? Si præterea dulcia caſti amoris pignora ſolis paſcens uberibus egena conjux, ipſis lac primis tenellulorum corporum elementis apprimè conſentaneum aſſiduè miniſtraverit: ſi pater in obſcuro quidem vitæ ſtatu, at mente ſanâ in corpore ſano valens, labore

duratus, virtutis pro ſua ſorte cultor, omne ſtudium in excolendam teneram progeniem, ſuas delicias & unicum inopis Senectæ præſidium contulerit; quis non ſperet ita natum, his curis educatum puerum olim ad præclariſſima quæque emerſurum? Non ab aliis auctoribus illuſtriſſimæ familiæ propagatæ ſunt.

Quis generoſi ſanguinis perpetuitatem præſtare auſit, ſi neglexeris hujus certam tueri craſim, aut ſi nihil non feceris, quo hujus integritas depravetur? Si primigeniæ alacritatis immemor, ſtagnet in venis fœdè deſidioſus, aut ſi impotenter & ultra naturæ vires æſtuans, tenuia vaſculorum clauſtra, unde omnis ipſi ἐνεργεῖα, perruperit.

Quàm multis itaque de cauſis, in præclara noſtrorum Herorum ſobole, ſpes jam omnes reponimus Nepotum! Regiæ Nobilitatis, inter ipſa pueritiæ crepundia, jam conſcius Dux Burgundiæ, virtutiſque mox erupturæ germinibus tumens, animo vincit ætatem; pueros nempe BORBONIOS excitabit avorum memoria, excitabunt viva Auguſtiſſimi Patris exempla, qui Dulciſſimæ Conjugi, non tam connubiali vinculo, quàm blando amoris nexu devinctus, poſtquam in eos pretioſum generoſæ mentis Spiritum effudit, animos quoque, Sapientiſſimâ Diſciplinâ roborabit; & illius ſanè vota, expectationémque noſtram ſuperabunt. Statum hoc augurium, numeríſque Babylonicis certius! Tranſlatæ hinc in aliud cœlum ſolúmque plantæ, ſuaviores interdum vel inſuaviores, venenatæ vel ſalubres fiunt, *Pomáque degenerant ſuccorum oblita priorum.* Verùm tellurem frequens exerce, nullibi non aſſiduo cultu natura perficitur.

Timeamus ſcilicet ne noſtrorum Principum ſanguis unquam à priſtina claritudine deſciſcat, dum creſcit in dies gentis univerſæ decus, ſingulóſque Gallos, pro ſua quemque fortunâ, major accendit gloriæ cupiditas. Quidquid contrà Cynici cujuſdam cenſura dixerit, * ſuæ ſunt etiam ætati noſtræ virtutes. Nunquam certior in improbitatem ignominiæ pœna conſtituta eſt, nunquam ſtrictiori lege omnes omnis conditionis homines, ſi contemptum, indignationémque publicam effugere voluerint, ſuas quiſque virtutes in medium conferre debuerunt: Vir Eccleſiaſticus exempla Sanctimoniæ, Magiſtratus incorruptam Juſtitiæ & Patriæ Charitatem, Miles invictam fortitudinem. Itaque permanat ad omnes vitæ atque imperii ordines, mens quædam Heroica, nedum in noſtris Regibus, quorum ſingulare patrimonium eſt, deficiat. Unde innixam naturâ, analogiâ, experientiâ, exemplis concluſionem educimus.

Ergo ex Heroibus, Heroes.

* Diſcours ſur l'origine & les fondemens de l'inégalité parmi les hommes.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ambrosius Hosty, Legationis Anglicanæ Medicus ordinarius.

M. Joannes Mac-Mahon, Regis Consiliarius & Regiæ Scholæ Militaris Medicus ordinarius.

M. Franciscus Thiery.

M. Anna-Claudius Dorigny.

M. Carolus-Augustinus Vandermonde, Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor designatus.

M. Ludovicus-Joannes-Baptista Cosnier, Scholarum Professor.

M. Michael-Josephus Majault.

M. Antonius Ferrein, Professor Regius, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius & in Horto Regio Anatomes ac Chirurgiæ Professor.

M. Bartholomæus Murry.

Proponebat Parisiis GUILLELMUS FUMÉE, Bajocæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1757,
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typogr. 1757.